







1717.

1. Bastineller, Gerhard Christianus: Conclusiones feudales
fori cum primis Saxonici selectas. . . publice tue-
bitur.
2. Bastineller, Gerhard Christianus: Selectae quaedam a. P. D.
receptae sententiae
3. Bastineller, Gerhard Christianus: De expensis termini
4. Berger, Jo. Goltkopferus: De apoplexia. Diss. acad.
Wittenberg 1717.
5. Elswich, Fr. Hermann, v.: Recentiores de anima
controversiae
6. Emertus, Fr. Christianus: De eruditorum cuncta-
tione in componendis libris ad Fabri lib. 8. Cap. 14.
7. Grotius, Mich. Henr: Lectori benivolus s. p. d. : (ad
disputationem solennem Cand. Datis Neubergeri curi-
tatis)
8. Grotius, Mich. Henr, Ordia. ietorum prodecan: Lectori
benivolus s. d. (ad Disp. Ludov. Augusti Schuaders
iuritis)

9. Gribner, Mich. Henr: De exceptione spoliis ejus dem-
que in foro Saxonico usum.
10. Gribner, Mich. Henr: De dominio directo in heri-
torio alieno
10. Gribner, Henr. Mich. n. Haue, Burs. Goth: De dominio
directo in alieno territorio.
11. Hartungius, Jo. Godfr: Schediama juridicae
de eo, quod mutatum Nor LXV. cap III et IV.
Circum exhereditationum parentum pariter ac libe-
rorum. 2 exempl.
13. Hartungius, Jo. Godfr: De statu in genere, et in
specie de statu naturali et civili libertatis
14. Hemen, Martinus: De παρὰ τῆς ὁσίας crimine
non legato violati mandati reo.
15. Hornius, Krop Henr: Decedam observationum
fundationem submittit.

16^{a. 6} = Hornius, Krup. Henr: Discretio in ang. juridica
ad tit. decretalium ut ecclesiastica beneficia
sive deminutione conferantur. 2 Exempl.

17^{a. 6} = Hornius, Krup. Henr: De paribus sententiis
judicium et arbitrium. 2 Exempl.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely German, covering the majority of the page. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side.]



17.

2. D. B. V.

1717 14.

3

AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII AC DOMINI

DN. FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORAT. SAXON. HEREDIS

RELIQVA

DE

EXPENSIS TERMINI

PRAESIDE

D. GEBH. CHRISTIANO
BASTINELLERO, P.P.

JCT. ORDINIS H. T. DECANO

PRO LICENTIA

SVM MOS VTRIVSQUE IVRIS HONORES
CAPESSENDI

D. SEPT. A. R. S. MDCCXVII.

IN AVDITORIO MAJORI
DISSERET

AVCTOR

JOANNES WINCKLER, STARSID. MISN.
ILL. REG. WEISSENF. ADVOC. IMMATR.

VITEMBERGAE, STANNO GERDESIANO.



17

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO
FRIDERICO AVGVSTI
EFFECTVS

EX PENSIS
TERMINI

D. GERH. CHRISTIANO
BASTIENI

PRO LICENTIA
VARIORVM

AD ORDINEM MAIOREM
DI. A. A.

CAUSARVM
HONORABILISSIMO

FRIDERICO AVGVSTO





PROOEMIUM.



ogitanti mihi, ecquod pro Licentia disputandi argumentum eruditorum examini subjicerem, uaria quidem occurrebant: ex iis tamen id potissimum deligendum putauit, quod ex Vsu Forensi esset, atque Praxi quotidiana, quippe cui, hucdum excultae, reliquam quoque uitae meae partem consecraui. Est autem materia de Expensis Terminum, cuius cognitio tantum abest, ut in foro possit negligi, ut potius a quolibet Praxeos cultore, necessitate quadam, diligentius sit euoluenda. Quae de causa optarem etiam, ut, quo minus Beneuolentiae expectationem suslineam, nihil obstaret: at ueniam, spero, me impetraturum eo facilius, quo constat euidentius, non paucis hoc argumentum difficultatibus implicitum reperiri. Ut igitur Numen Summum conatus meos qualescunque fortunet, suppliciter oro atque obtestor.

SECTIO I.

DE
EXPENSIS GENERATIM
QVID SINT ET QVOTVPLICES.

§. I.

De uoce
Expensarum,

Suam Expensarum uox originem ducit ab *expendendo*, seu *appendendo*, quoniam Veteres, cum ob minus frequentem pecuniae signatae usum, aes uel argentum uel aurum rudi pondere, tum ob euitandam monetae numerandae molestiam, ut hodieque fieri solet, eandem in commerciis ad libram appendebant. Atque, latius accepto uocabulo, Expensae sunt *sumtus erogati*, quibus etiam Impensae, siue Impendia, continentur, & haec uerba pro Synonymis habentur.

§. II.

uariaque
earum di-
uisione.

Expensarum genera constitui possunt duo, quarum aliae erogantur *in rem*, quae petitur, & hae proprie uocantur Impensae rerum; aliae *in litem*, quae res petitur, quae speciatim dicuntur Expensae litis. Vtrumque harum Expensarum genus uarias denuo recipit diuisiones & subdiuisiones, quas breuiter exponam. Expensae enim, in rem factae, impenduntur aut *in ipsam rem*, aut sunt *fructuum causa*. Priores sunt uel *necessariae*, quae nisi factae fuissent, res uel peritura, uel deterior futura, fuisset, ueluti aggeres facere, flumina auertere, aedes ruinosas fulcire, reficere, arbores in locum mortuarum substituere, seruos alere &c. uel *utiles*, qui-

quibus res quidem carere potuit, si tamen factae, fructum augment, earumque necessitas uel utilitas ratione domini, rem repetentis, non possessoris, dijudicari debet: quorsum pertinet, si oliueta, uineta, arbutta, pascina & stercorationes fiant, aedes ad commodiorem habitationem aptentur, fornaces & fenestras restaurentur &c. uel *uoluptuariarum*, quae sine fructu rem saltem ornant, u. g. uiridaria, aquae salientes, incrustationes, loricationes, picturae &c. Posteriorum expensarum aliae *quaerendorum*, aliae *colligendorum*, & tandem aliae *conseruandorum*, fructuum causa, suppeditantur. Inter Impensas autem rerum & fructuum haec intercedit differentia, quod *haec* a quouis possessore, rem alteri restituentem, deducantur, licet sit malae fidei possessor, uel etiam uiolentus, seu praedo; *illae* non semper, nec eodem modo, nec a quouis possessore, sint refundendae, sed easdem, pro diuersa tantum possessoris qualitate, uel deducere, uel tollere, uel neutrum liceat. Hopp. *Comm. ad F. §. 30. de Rer. diuis. p. 313. seq.* Interim pluribus haec persequi, prorsus ab instituto meo uidetur alienum.

§. III.

Proposito igitur meo nunc prescius insistam, relictaque Expensarum in rem, seu rerum, diuisione, ad Expensas litis accedo, de quibus, iisque cumprimis Expensis Termini, deinceps nonnulla, quae in Foro & causis, coram iudice perorandis, sine damno & periculo non ignorantur, in medium proferam. Cum uero de re aliqua ante, quam quid ea sit, cognouerit, dicere possit nemo, definitio Expensas litis, quod sint *sumtus, juris litis, nostri in iudicio obtinendi, uel defendendi, causa erogati.*

A 3

§. IV.

§. IV.

Et quoru-
plices?

Quemadmodum autem Expensae rerum uarias, ut ex superioribus apparet, agnoscunt partitiones, ita quoque non eiusdem generis inueniuntur Expensae litis. Nam sunt uel *totius causae*, quae in totum processum, uel *unius alteriusque Termini*, quae in hunc aut illum Terminum erogantur, uel *temerariae in ius uocationis*, quae temere in ius uocato refunduntur: quo refero, si quis aduersarium coram iudice, uel maxime ratione summae incompetente, aut lite jam alibi intentata, aut tempore non debito, aut ad locum non tutum, aut etiam alium aduersarium alterius loco, si u. g. plures dentur eiusdem nominis, citandum curauerit, aut libellum rite non composuerit, aut alioquin culpam & negligentiam in qualitate causae eiusque fundamentis peruestigandis commiserit, uel *contumaciae*, quae ob contumaciam, si iudicis mandato in comparendo, respondendo, & similibus, non pareatur, alteri ueniunt resarciendae, uel *retardati Processus*, quae ob litem, quam Reus, uel Actor, per oppositam exceptionem aut replicationem, qua alteruter uincitur, protrahit, adjudicantur, uel *uictoriae*, quae propter causae iniustitiam uictori debentur. Omnesque hae Expensae dispescuntur in *judiciales & extrajudiciales*. Illae sunt, quas Iudex & Actuarius, itemque Assessores & Executores accipiunt, ac poscere jure suo possunt, uulgo die *Sporteln/ Gerichts-Kosten*: hae, quae, respectu litis, extra iudicium sunt, die *Aduocaten-Gebühren/ Zehrungs- und Reise-Kosten*. Quarum porro quaedam sunt *necessariae & reales*, sine quibus lis expediri nequit, more iudicis consueti factae, quaedam *woluntariae ac delicatae*, quas litigantes sponte, non exigente

gente necessitate, fecerunt, e. g. si arrhae aut palmarii nomine aliquid dederint liberalius, aut annum salarium pro opera nauanda constituerint munificentius, aut si equum conduxerit, qui pedes ire solitus erat.

§. V.

Hic nisi studerem breuitati, de Expensis litis multis *Transitio* adhuc multa differere, facile esset, sed cum mihi, quod *ad Expens-* inscriptio docet Dissertationis, animus sit, non totam ha- *sas Ter-* rum Expensarum materiam copiosius explanare, ue- *mint.* rum id, quod ad restitutionem Expensarum Termini attinet, pro instituti ratione pertractare, omisis ambagibus, progredior ad specialiora.

SECTIO II.

A QVO ET QVIBVS CASIBVS EXPENSÆ TERMINI SINT RESTITVENDÆ.

§. I.

SI quaeratur, quisnam ex litigantibus teneatur ad Ex- *Hae mul-* pensas litis ferendas, responderi solet per Regulam *tum diffe-* in uulgus noram, quod uictus uictori teneatur expensas *runt ab* restituere. Quae quidem Regula in iure simul, ac ae- *Expensis* quitate naturali, fundata est, tamen ea non multas so- *Processus.* lum admittit exceptiones, quas hoc loco recensere nec libet, nec licet, sed illo etiam casu, quo de restitutione saltem unius alteriusue Termini Expensarum agitur, nullum penitus locum obtinere potest. Ibi enim uictum inter, ac uictorem, nulla agnoscitur differentia, cum Expensae Termini neque propter litis uictoriam, neque

neque post eam demum debeantur. Quam ob causam usu uenire solet, ut pro diuersitate casuum in Expensas Termini condemnetur, qui postea sub fine litis interdum uictus, interdum uictor audit, quod in Expensis causae totius, uel Processus, se longe secus habet.

§. II.

De Expensis Termini Regulae afferuntur tres.

Cunctos casus, quibus Expensarum Termini re-
fusio sit injungenda, hic enumerare uelle, uidetur mihi
& longius, & difficilius. Periculum itaque sum factu-
rus, num Regulas generales, ex quibus casus speciales
resultant, & si non omnes, plerique tamen dijudicari
possunt, concinnare ualeam, quarum tres constituam.
Prima esto: *Quoties quis in Termino uel emanet contumaciter, uel in eo comparens, praestanda non praestat, aut, ob illegitimationem personae, ad expedienda non admittitur; Toties condemnatur in Expensas Termini.* Altera: *Quoties quis Remedium suspensiuum, e.g. Leuterationis, uel Appellationis, sine iusta causa interponit, aut illud deserit, aut eidem intempestiue renunciat; Toties tenetur ad refundendas Expensas Termini, siue retardati processus.* Tertia: *Quoties quis in Processu aliquid uel negligit, uel nulliter aut inutiliter gerit, ita, ut id uel a iudice rejiciatur, uel ipsa pars ad illud retractandum admittatur, & restituatur; Toties condemnatur in Expensas unius alteriusue Termini.* Quibus sane Regulis si non omnem, quae in praesenti argumento reperitur, difficultatem expediri credas, meliora edoctus, me nunquam habebis dissensurum.

§. III.

*Explana-
tur prima.*

Tres Regulas generales ea, qua potest fieri, breuitate percurram, adeo, ut, sicubi res postulet, exemplis eas illustrem. Initium ergo facio a Regula prima, quae solum

solum respicit Contumaciam, quatenus illa uel non comparando, uel non rite peragendo, quae quis in Termino debebat expedire, committitur. Contumax uero quis deprehenditur uel in prima, uel in secunda Instantia. Hoc loco non nihil de *Actore*, quando in prima Instantia, ceu contumax, in Expenſas Terminum condemnari queat, differam. Is enim, si in prima Instantia *Aktor Ex-* Terminum quendam contumaciter negligat, praeter *penſas* cautionem, quam de lite prosequenda praestare debet, *Termini* incurrit reſuſionem Expenſarum Terminum; imo hanc *reſundit,* poenam luit, cum Terminus sit ex compromiſſo *ſi uel c-* praestitutus, niſi forſan alia poena a compromittentibus *manet,* definita.

§. IV.

Liberatur tamen ab eadem poena Actor, I) si Reus *niſi juſta* se non ſiſtat, ſuam comparitionem ad Acta non dicitet, *adſit ex-* finem Terminum non expectet, atque Actoris contuma- *cuſatio,* ciam non accuſet. II) Si ipſe Actor ſe excuſet, probabili absentiae cauſa nixus, ac iudex, cujus eſt arbitrii, de hac cauſa diſceptare, utrum ſufficiat, nec ne, Terminum dilationem concedat, ejusque conſeſſae iudicium Reo juſto tempore fiat. Ultimo omiſſo, de lite quidem prosequenda non cauet Actor, Expenſas tamen Terminum, quas Reus fecit, rependit. III) Si iudex ſuicopiam Actori non faciat. Neque enim Actor alibi iudicem quaerere tenetur, quam in loco tribunalis: ſi uero iudicem aegrum uel occupatum inueniat, absque uenia abire non licet.

§. V.

Accedit ex nonnullorum opinione IV), si Actor *ad quam* Terminus non sit rite denunciatus: de cujus tamen *non perti-* ueri- *net non*

B

facta Ter- ueritate subdubito. Vt enim Actor deliberet, uel se
mini de- praeparet ad negorium, in Termino expediendum, qui
nunciatio: praecipuus citationis finis est, non requiritur, praeterea-
 que eum, qui, citatione impetrata, Reo necessitatem
 imposuit comparendi, sine admonitione uigilare oportet.
 Nec leges nostrae in Notificatione perinde, ac in
 Citatione, disertis uerbis Insinuationem praescribunt.
 Quapropter & Collegia Juridica, quae hic florent, hanc
 Actoris excusationem friuolam aestimant, ejusque nulla
 habita ratione, ipsum emanentem refusione saltem Ex-
 pensarum Terminum coercent.

§. VI.

*Vel, si non
 rite com-
 pareat, Ex-
 pensas
 Termini
 restituit
 Actor.*

Tum Expensas Terminum restituere cogitur Actor,
 si in Terminum comparens, libellum non repetat. I-
 demque obrinet, si per alium compareat, qui nec man-
 dato instructus est, nec cautione rati se legitimare ualeat,
 quia talis illegitima comparitio nullius est ponderis, cum
 in jure paria sint, aliquid non fieri, uel non rite fieri.
 At refundendis Expensis non animaduertitur in Acto-
 rem, si persona, ejus loco comparens, producat man-
 datum, defectu aliquo laborans, modo sit extensum, cum
 charta blanca non sufficiat, sed hoc casu cum cautione
 rati admittitur Mandatarius, eique melior solet injungi
 legitimatio. Pari ratione cessat restitutio Expensarum
 Terminum, si is, qui Actoris nomine comparet, uel pro-
 pter consortium litis, uel propter consanguinitatem, aut
 affinitatem mandato praesumpto gaudeat, dummodo ta-
 le negotium subsit, ut quis ex hoc mandato ualide age-
 re possit, ac cautio rati praestetur.

§. VII.

Atque et-

Quod de Actoris contumacia dictum fuit hactenus,

nus, idem fere accommodari potest ad Reum, qui in eadem se prima quoque Instantia Expensas Termini refarcire *re est con-* compellitur, si contumacem se praebat, *emanendo, ditio Rei,* Quod simili tamen modo temperatur, I) cum Actor, *qui Expensas Termini refarcit,* eius contumaciam plane non, uel non rite, accusauerit, *se uel in eo se non stat,* Etenim accusationem e. g. per literas fieri, ubique, certe in Foris Saxonis, non satis est. II) Cum citatio ejusque insinuatio defectu aliquo laboret: quoduis enim ejusmodi uitium a poena contumaciae liberat. Ita, si ex pluribus, qui emanant, litis consortibus unus saltem legitime citatus fuerit, hic solus aduersario tenetur Expensas Termini restituere. III) Cum Reus ob certa impedimenta prorogationem Termini impetrauerit, atque hac de re Actorem tempestiue certiore fecerit. IV) Cum, non obstante contumacia, ad ulteriora in Processu perrectum fuerit, e. g. documenta pro recognitis habita. Jure Saxonico tanquam singulare occurrit V), Cum Actor, Reum emanentem in legitima Impedimenta condemnari, petierit.

§. II X.

Deinde Expensas Termini restituit Reus, si con- *uel praec-* tumaciam committat, *non rite comparando.* Quod fieri *standa* solet, I) si per alium, qui nec uero nec praesumpto *non praec-* let mandato, se sifit. II) Si in Termino litis conte- *stet.* stationem euentualem exceptionibus dilatoriis non annectat. III) Si litis contestationem ultra secundam positionem differat, cum ea, in positione tertia facta, irrita sit, & praeremittatur, nisi per omnia recte se habeat, quia hoc casu alia responsio non uideretur esse necessaria, atque in poenalibus causis mitius judicandum. Contra litis contestationis uicia in tertia positione corrigere licet,

licet, si nondum ab Actore sint notata. IV) Si per litem saltem litem contestetur. V) Si litem in Terminis quidem oretenus, sed vitiose, contestetur.

§. IX.

Quando Leuterans in Expensis Termini condemnatur. Restat, ut de illa primae Instantiae contumacia, quae in Leutatione, uel simili remedio suspensiuo, committitur, paucis agam, ubi Leuterantem inter, & Leuteratum, est distinguendum. Leuterans praeter desertionem, etiam refusionis Expensarum Termini, poenam subit, I) si in Terminis, Leutationi prosequendae praefixo, contumaciter emanat, Ord. Proc. Sax. Tit. 35. §. 3. II) Si in Terminis Prosecutionis compareat quidem, sed Leutationem suam tam quod ad formalia, quam quod ad materialia, non prosequatur. III) Si in Terminis Prosecutionis se sistat, atque Leuterati forte emanentis contumaciam accuset, legitima Leutationis suae prosecutione omissa, modo in sequenti Terminis per accusationem contumaciae, rite factam, id urgeat Leuteratus. Dec. Elect. Nouiss. 69. Neque hic Leuteranti expedit, si conqueratur de Terminis sibi non denunciato.

§. X.

Et quando Leuteratus. E contrario tam subita rigorosaeque poena non afficitur contumax Leuteratus, quippe qui absque omni poena in Terminis Prosecutionis prima uice potest emanare, cum ipsi sit integrum, se ad Acta priora simpliciter referre. Attamen & ipse in Expensas Termini condemnatur, I) si in primo, ad quem legitime citatus fuit,

fuit, Prosecutionis Termino comparens, ad Leutationem plane non respondeat, uel ejus tantum formalia friuole impugnet. II) Si in altero Termino, postquam jam sub comminatione respondere jussus est, non compareat, neque citatio legitimum spatium continuerit, ut noua citatione, prioris sententiae reformandae causa, opus sit.

§. XI.

Dicitis his de contumacia primae Instantiae illam, *Expensas* de qua non tam raro inter se disceptant Aduocati, quae *nisi conceptis uerbis adju-* fionem subjungere placet: utrum is, qui contra sententiam, qua *dicatae,* Expensas Termini restituere jussus est, *non debentur.* Leutationem interposuit, eo casu, quo prior sententia sine mentione refundendarum Expensarum retardati Processus confirmatur, aduersario easdem Expensas ex priori sententia debeat restituere? Quod omnino uideatur negandum, quia quaelibet sententia stricti juris est, strictissimaeque interpretationis, neque naturaliter sententia de re futura, super qua non est lata, accipi potest. Accedit, quod judicis sit arbitrii, num Expensas alicui adjudicare uelit, nec ne. Ex quibus conficitur, Expensas Termini, seu retardati Processus, nisi conceptis uerbis adjudicatas, non deberi. Interim eas jure peculiaris ex conuento actionis petere licet, modo haec conuenta, tempore sententiae pronunciatae, una in iudicium non fuerint deducta. Atque idem juris esse existimo, si Leuteratio, contra sententiam, quae refusionem Expensarum Termini injungit, interposita, a iudice, non

non commemoratis Expensis retardati Processus, re-
jiciatur,

§. XII.

De Expensis Termini ob contumaciam in secunda Instantia. De Expensis Termini, quae in secunda Instantia propter contumaciam reficiendae sunt, ut hic multa faciam uerba, uix operae pretium uideatur, cum ea, quae hucdum de Leuterante & Leuterato contumacibus uideamus, pari ratione ad Appellantem & Appellatum contumaces applicari possint, si scilicet Appellans Appellatusque in Termino justificationis uel emanferint, uel officio suo in comparando, prout decet, non fuerint defuncti.

§. XIII.

Singularem quaedam de Expensis contumaciae. Ceterum, quod ad Expensas Contumaciae attinet, notatu digna sunt Tria, I) contumacis defuncti haeredes ad eas non teneri refarciendas. II) Procuratorem, si suam ob contumaciam expensas soluerit, eas a principali reperere non posse. III) Victorem expensas, quas ob contumaciam soluit, non recuperare. Etenim contumacia ex delicto descendit, adeoque poena ejus ipsi tantum manet, qui non paruit, nec contumacia quidquam cum causa habet commune. Huc facit *Ord. Proc. Magdeb. Recogn. cap. 45. §. 3.* *Würden die Mandatarii und Procuratoren aus freventlichem Vorsatz / Schuld / Versäumnis oder Unwissenheit, das Recht ver-*

verzögern/ sollen sie diejenigen Unkosten/ so deshalb in denen Urtheiln erkandt/ de propriis und ohne Nachtheit ihrer Partheyen erlegen/ oder darzu durch Execution angehalten werden.

§. XIV.

Perlufrata Regula prima, de secunda ut dispicia-*Exponitur* mus, ordo postulat. Habebat autem illa sese ita: *Quo-secunda* ties quis Remedium suspensivum sine justa causa interponit, Regula aut illud deserit, aut eidem intempestive renunciat; *Toties de Reme-* condemnatur in Expensas Termini, siue retardati Processus, diis su-*spensivis.* De injusta uero ac temeraria Remedii suspensivui Interpositione, cujus aestimatio prudentiae judicis relicta est, specialiora vix possunt definiri. Deinde Desertionem obtinere, quando Leuterans, uel Appellans, fatalia praescripta negligit, inter omnes jam constat. Ita enim e. g. Leuterans merito quoque Expensas retardati Processus perfoluit, si inter spatium Saxonicum separata schedula citationem ad prosequendam Leuterationem non petierit: quod locum etiam habet, si iudex in discernenda quidem, concipiendaque citatione Leuterantem praeuenerit, eam tamen ante, quam spatium Saxonicum effluerit, non curauerit Leuterato insinuari. Porro deserta Appellatione ante introductionem, iudicis a quo esse, ut Appellanrem in Expensas condemnet; post eam autem idem iudici ad quem competere, aperti comprobaturque juris est. Ac de ejusmodi Remedii Renunciacione tandem non praetereundum, Leuterantem, uel

uel Appellantem, suae Leuterationi Appellationique tamdiu renunciare posse, quamdiu pars aduersa de concessio hoc juris beneficio a iudice non fuerit admonita.

§. XV.

Denique Superest Regula tertia: *Quoties quis in Processu agitur de aliquid uel negligit, uel nulliter aut inutiliter gerit, ita, ut tertia Re- lud uel a iudice reiiciatur, uel ipsa pars ad id retractandum gula.* admittatur & restituatur; Toties condemnatur in Expensas unius alteriusue Terminii. Causas generales, ob quas in Expensas Terminii quis possit damnari, tradit haec Regula tres. Scilicet I) si quid a iudice tanquam nullum rejiciatur, sicque e. g. Actor, libello ejus per sententiam inepto, contrario, &c. declarato, ad Expensas Terminii Reo refundendas tenetur. II) Si quis ad retractandum & mutandum id, quod inutiliter egit, admittatur. Ita & Actor, qui libelli minus bene compositi conscius, eum in Terminio aut post Terminum mutat, uel plane reuocat, Reo Expensas Terminii restituere debet. III) Si quis, ex negotio aliquo, quod uel gessit, uel gerere omisit, laesus, in integrum restituitur. Nam Restitutum, partem aduersam omnibus in rebus indemnem praestare, atque adeo factas etiam Expensas ipsi in tantum rependere, oportet, in quantum causa fuit retractata.

SE-

SECTIO III.

QVA RATIONE EXPENSARUM
TERMINI ET REPETANTVR ET
IMPETRENTVR.

§. I.

Expensas unius alteriusue Terminum repetiturus, eas *Expensas* dem, siue in iudicio, siue extra iudicium, factas, *non refi-* recensere particulatim, Iudicisque aestimatione defini- *ciuntur,* endas curare, debet. His enim praetermissis, ad ipsarum restitutionem non tenetur pars aduersa, sed de nondum facta nec Liquidatione, nec Moderatione, ut uulgo loquuntur, cur conqueratur, omnino habet.

§. II.

Quod Liquidationem spectat, inter Expensas totius *nisi prae-* causae, & Expensas Terminum, hoc intercedere uolunt *uia Liqui-* discriminis, posteriorum exemplum aduersario, nae *uatione,* rum, si qui occurrant, indicandorum causa, transmitti quidem non oportere: id tamen Iudicis officio contineri, si priorum iniuncta sit restitutio. Verum, cum expensae Terminum, nisi de quantitate & qualitate constet, taxari non possint: cur Expensae totius Processus, si, ex qua causa debeantur, Acta in continentibus doceant, sine praecaua aduersarii responsione, cum primis si modicae sint, aestimari nequeant, haut apparet. Parum igitur, uel nihil allata differentia, meo quidem iudicio, habet in recessu. Nec maioris pretii esse uidetur alterum, quod

C

hoc

hoc loco commendant, discrimen, nempe inter Expensas Termini, in quas quis uel ex contumacia, uel ob litem temere protractam, condemnatus fuit, etiam *interesse*, & quod detrimenti nomine uenit, urgeri posse: illud autem in Expensis causae torius secus se habere, utpote quibus damna non comprehendantur. Nam, certe ex more loquendi nostro, Expensae, Unkosten/ & Damna, Schäden/ sibi contradistinguuntur, separatimque & petuntur, & adiudicantur: quod sane non inualuisset, nec hodiernum obseruaretur, si una uox alteram per se complecteretur.

§. III.

*Et Judicis
moderatione*

Progredior ad Aestimationem Judicis, siue Moderationem, quae in Expensis, extra Iudicium erogatis, siue sint Termini, siue totius litis, negligi potest nunquam, si uel maxime eas refarcire iussus, se hac in re aduersarii assertis simpliciter stare uelle, promiserit. Eiusmodi enim pacta conuenta, cum ansam praebeant abusu, nihilo secius ad arbitrium boni uiri reducuntur. At factae in iudicio Expensae Judicis temperamento non sunt obnoxiae, nisi Proto-Notarius uel Actuarius, uel quicumque sit, qui eas postulet, modum excefferit. Ut autem iustus hoc in negotio modus adhibeatur, partim personarum, partim facultatum, quibus quisque litigantium praeditus est, ratio haberi debet: quamuis explorato certum sit, tantum neminem recipere, quantum impenderit. Quae quidem iactura in Expensis totius processus tolerabilior uidetur, quam in Expensis Termini cuiusdam, ob contumaciam, uel litem, temere prote-

protelatam, rependendis, quippe hae ex delicto & malicia, poenam, Expensarum refusione majorem, merente, debentur. Postremo, si quis Judicis taxationem iniquam esse putet, ejus corrigendae causa, beneficio suspensionis uti non prohibetur. Tamen, si error manifestus circa Taxationem commissus fuerit, his ambagibus ne opus quidem est, quoniam judex huic malo, sententia licet a viribus rei judicatae non suspensa, declaratione quadam mederi ualet.

§. IV.

Caueat praeterea, qui Expensas petit, ut ad eas ju- ^{acceden-}
rato probandas, si pro re nata exigatur, sit paratus. ^{reque in-}
Praestito autem hoc jurejurando, siue a iudice, siue ab ^{terdum}
aduersario, delato, neutri postea Taxationis, exuberant ^{petentis}
tis licet, rescindendae datur potestas. ^{Auth. Post jus juran-}
^{dum C. de Judic.} Imo Expensarum adjudicatarum usu- ^{jure in-}
rae ab eo tempore, ex quo taxatio facta est, debentur, ^{rando.}
cum statim in mora esse incipiat, qui Expensas taxatas
soluere differt.

§. V.

Non autem Patroni causarum muneris tantum est, ^{De mediis}
ut de Expensis, designatis, taxandis uideat, sed ipsum ^{exequendi}
quoque media, quibus easdem tuto consequi licet, nos ^{Expensas.}
se oportet. Hae igitur Expensae uel ^{per modum actionis}
ex re judicata postulantur, ubi Executio statim peti
potest, cum sententiae ac Recessus judiciales nulla indi-
geant recognitione: uel ^{per modum exceptionis} urgentur,
adeo,

adeo, ut parti aduersae tamdiu omnis iudiciorum copia intercludatur, quamdiu de Expensis nondum plene fuerit satisfactum. *l. 15. C. de Judic.* Atque hujus legis sanctio poenaeque locum obtinet, etsi Expensae ex diuersa, quae inter easdem personas uentilata est, causa debeantur, nec non ad causas, quas Aduersarius cum aliis & coram alio iudice habet, pertinet, ita, ut nullo in iudicio prius, quam Expensas alteri, qui eas sustinuit, intulerit, audiatur. Verum ad multam, sententia iunctam, ut neque ante istius praestationem judicialis aditus ei reuelerur, modo laudata lex non est extendenda: siquidem nec Aduocato Clientis, residui salarii, aut expensi in litem, causa, prospicit. Nam quae de honorariis Aduocatorum in ea cauta leguntur, unice de Aduocato partis aduersae accipienda esse, ipso contextu euincitur. Interim Aduocatis Clientum propter salarium & sumtus litis Jus Retentionis conceditur in documentis, quae sine uitio ab iis possident, imo in integris Actis, nisi publica utilitas, ut Acta extradantur, suadeat; id quod Iudicis arbitrio est relinquendum.

TANTVM.

NOBI-

NOBILISSIMO
ET
CONSVLTISSIMO
A V C T O R I

S. P. D.

PRAESES

Quae praecipua, jure suo,
haberi debet eorum cu-
ra, qui clientum causas in
Foro agunt, ne, in lite profe-
quenda, praeter necessitatem

C3

auge-

augeantur expensae: hanc TE
& adhuc suscepisse studiose, nec
de hoc studio quidquam remis-
surum posthac, praesens laboris
atque ingenii Tvi documen-
tum, laude dignissimum, abun-
de testatur. Non desunt, fateor,
quae forsitan ab aliis, tanquam
omissa, desiderabuntur: sed
cum instituti Tvi gnauiter ha-
benda esset ratio, eadem non
omissa, uerum, breuitatis stu-
dio, praetermissa, tempestiue
cognoui. Ego sane, qui eo-
rum conatibus maxime soleo
laetari, qui se totos Reipubli-
cae

caae tradunt, ejusque commo-
dis, tam conseruandis, quam
augendis, uere student, TVVM
quoque propositum, quod eo-
dem pertinet, non potui non
uehementer probare, atque, ut
destinata perficeres, beneuole
adhortari. Quod cum pro
temporis ratione sit praesti-
tum, intermittere nefas duco,
quin TIBI collectos iam ex Vsu
Fori profectus egregios ma-
ximopere gratuler, addita hac
uoti mei Summa, ut DEVS
O. M. honores in praesenti
conferendos, omnesque abs TE
fusci-

suscipiendos in posterum labo-
res TIBI honorificos esse jubeat,
ac Reipublicae salutares. Da-
bam e Museo die XI. Septembr.
A. R. S. M DCC XVII.



Wittenberg, Diss., 1717


ULB Halle
005 841 755


3



W 17







B.I.G.

Farbkarte #13

17.

2. D. B. V.

1717 14.

3

RECTORIS AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTORAT. SAXON. HEREDIS

DE
**EXPENSIS
TERMINI**

PRÆSIDE
D. GEBH. CHRISTIANO
BASTINELLERO, P.P.
JCT. ORDINIS H. T. DECANO
PRO LICENTIA
SVM MOS VTRIVSQUE IVRIS HONORES

CAPESSENDI
D. SEPT. A. R. S. MDCCXVII.
IN AVDITORIO MAJORI
DISSERET
AVCTOR
JOANNES WINCKLER, STARSID. MISN.
ILL. REG. WEISSENF. ADVOC. IMMATR.
VITEMBERGÆ, STANNO GERDESIANO.

